



1. Rous / Joh. Reinh. / diff. de serpente le-
ductore non naturali sed solo simbolo
iend 1712
2. — diff. de vario Mosi in Montem Sinai
ascensu iend 1716.
3. — diff. de iudea rebus gestis et
miraculis Christi clara iend 1733.
4. — diff. de veris sectatoris Jesu Christi
requisitis iend 1733.
5. Rurmeyer P. Mich. Christ. / diff. de Ara-
ne, viro sancto, tribus Levi, typo
Christi, Gryphid. 1738.
6. Bauerbreij / Joh. / diff. de Deo uno et
trino 1648.
7. Schackeri / J. J. / diff. de septem Spiritibus
a Joh. Theologo celebratis
Lipsiæ 1736.
8. Schelzuiz / Sam. / diff. de dono fidei
justificantes, 1739.

9. 25.
27
DISSERTATIO INAUGURALIS
THEOLOGICO-PRACTICA

DE

VITANDIS
QVIBVSDAM LICITIS
OB VICINIAM
ILLICITI

QVAM

IN INCLYTA ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

DN. JONA CONR. SCHRAMMIO

S.S. THEOL. DOCTORE ATQVE PROFESSORE

ORDINARIO CELEBERRIMO ET HOC TEMPORE

FACVLTATIS SVAE DECANO

PRO PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

OBTINENDIS

DIE IVNII MDCCXXVI.

EXAMINI PVBLICO EA QVA PAR EST

MODESTIA EXPONET

HENR. ERNESTVS OWENVS

ECCLESIARVM IN COMITATV SVPERIORI HOYENSI

SVPERINTENDENS ET PASTOR IN SVLINGEN.

HELMSTADII,

Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII,

ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN PRAESENTIA
THEOLOGICI FACULTATIS
DE

VITAE

QUIBUSDAM REBUS

OB VITAM

RELIQUIA

IN PRAESENTIA FACULTATIS

DR. JOHANNES SCHRAMM

PHIL. THEOL. DOCTOR ATQUE PROFESSOR

ORDINARIO GEBERENSIS ET HOC TEMPORE

PROFESSOR

PHIL. THEOL. DOCTOR ATQUE

PROFESSOR

PHIL. THEOL. DOCTOR ATQUE

PROFESSOR

PHIL. THEOL. DOCTOR ATQUE

HENR. KRISTVS OWENS

PHIL. THEOL. DOCTOR ATQUE

PROFESSOR

HELMSTADII

THEO. THEOL. DOCTOR ATQUE

PROFESSOR



VIRIS

SVMME REVERENDIS, ILLVSTRIBVS ET
MAGNIFICIS

POTENTISSIMI MAGNAE BRITANNIAE REGIS IN ELE-
CTORATV BRVNSVICENSI AC LVNEBVRGENSI

CONSILIARIIS CONSISTORIALIBVS ATQVE
ECCLESIASTICIS GRAVISSIMIS

DOMINO DAVIDI RVPERTO
ERYTHROPILO

DNO. PHILIPPO LVDOVICO
BOEHMERO

DNO. JOHANNI PETRO
TAPPIO

DNO. JOHANNI ANTONIO
SCHILLINGIO

DNO. BALTHAS. MENTZERO

DNO. HENRICO PHILIPPO
GVDENIO

DNO. GERHARDO JOHANNI
DE BODEN

DOMINIS ET PATRONIS SVIS

DEBITA ANIMI SVBIECTIONE

OMNIQVE OBSERVANTIAE CVLTV

HONORANDIS,

Discursum hunc Theologico-Moralem, Viri
Summè Reverendi, Illustres & Magni-
fici, si cum splendidissimorum Vestrorum
Nominum inscriptione publicarem, pu-
tavi me facere quiddam, quod & Vobis Patroni
Colendissimi, & mihi servulo Vestro æque conve-
niret. Vobis, Domini Venerandi, quia non tan-
tum indulgentissimi Conaminum Litterariorum
Censores, verum etiam istarum rerum, quas tenui
heic penicillo designavi, gravissimi simul & perspi-
caciissimi estis Ephori. Mihi autem, quoniam
tum muneris mei, tum & qualiumcunque meorum,
quibus in museolo dstringor, laborum ratio Vo-
bis reddenda est.

Deus vos servet!

SVMME REVERENDORVM ILLVSTRIVM
ET MAGNIFICORVM
VESTRORVM NOMINVM

Sulingæ XVI. Kal. Jul.
clō Io cccxxvi.

Cultor observantissimus

H. E. OWENVS.



SYNOPSIS.

Institutum dissertationis, s. Praefamen.

Homini Christiano ad vitam securè transgendam bona opus est conscientia, ad quam conservandam multa requiritur cura, adeò ut licita etiam nonnulla ob illiciti viciniam à Christianis vitentur, & à summo Magistratu vitanda jure jubeantur. §. 1. 2. 3.

Hinc duplex Dissertationis pars. §. 4.

Pars I. De Licitis nonnullis à vero Christiano ob viciniam illiciti vitandis.

Cap. I. Quo sententiae quaedam removentur, nimirum.

Instituta Pontificiorum. §. 5.

Consilia eorundem Ecclesiastica. §. 6.

Sententia Praecursorum. §. 7.

Placita Fanaticorum. §. 8.

Distinctio quaedam Stoicorum. §. 9.

Spiritus Scrupulositatis. §. 10.

Cap. II. De fundamentis verae sententiae.

Scriptura docet, quid sit licitum aut illicitum. §. 11. 12.

Vbi Flacii quaedam Distinctio examinatur. Scriptura comparat vitam Christianorum cum via variis periculis exposita; hinc sollicitudinis necessitas. §. 13-15.

Regula

Regula Pauli: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, adducitur & à Glossis Grotii vindicatur.
§. 16. 17.

Hinc vicinia duplicis illiciti, quorum unum personam Proximi, alterum personam agentis concernit. §. 18.

Cap. III. De Vitandis quibusdam licitis, ob illicitum in persona Proximi metuendum. Vbi Doctrina de Scandalo observationibus nonnullis illustratur & Moraliste quidam notantur. §. 19-27.

Cap. IV. De Vitandis quibusdam licitis ob illicitum in propria agentis persona metuendum. Vbi Quaestiones nonnullae morales formantur & oppositum, nempe securitas proponitur. §. 28-39.

Cap. V. De Licitis quibusdam à Ministris Ecclesiae præ reliquis omnibus ob viciniam illiciti vitandis. Vbi nonnulla de eorum Decoro in medium producuntur.
§. 40-46.

Pars II. De Licitis nonnullis à Serenissimis nostris Principibus ob viciniam illiciti prohibitis. Ac tota hac parte Ordinationes nostrae & Constitutiones laudantur.

Cap. I. De Potestate Leges Ecclesiasticas ferendi, divinasque proponendi & explicandi, quae summo Magistratui competit. Vbi Puffendorffius in subsidium vocatur.
§. 47-53.

Cap. II. De Ordinationibus & Constitutionibus, Sabbathicis, quae recensentur, debita laude evehuntur, illustrantur, & quoad sanctionem Pœnalem ab objectionibus G. G. Titii J. Cti Lipsiensis vindicantur. §. 56-63.

Cap. III. De Constitutionibus Matrimonialibus, quatenus gradus prohibitos spectant. §. 64-77.



IN NOMINE SERVATORIS MEI!
DISCVRSVS THEOLOGICO-MORALIS
DE
VITANDIS QVIBVSDAM LICITIS
OB VICINIAM ILLICITI.

§. I.



Vm homini Christiano ad cœlestem Patriam tendenti inter complures quasi scopulos navigandum sit; variis firmisque munitum eum esse oportet præsiidiis. Quæ si ritè perpendantur, inter illa quoque bona conscientia suo loco deprehendetur. Hæc enim arcæ Noachi similis est, quæ animam fidelem à vagis & impetuosis fluctibus immunem, atque inter syrtes securam præstat. Quam bonæ Conscientiæ necessitatem, cum pari conjunctam utilitate, Paulus Apostolus ubique respexit. Ipse enim non solum in hoc se exercuit, ut haberet *conscientiam sine offenculo apud Deum & apud homines*; * sed & Timotheum graviter monet, ut *bonam militet militiam, fidem retinens & bonam conscientiam, qua expulsa nonnulli naufragium fidei fecerint.* **

A 2

§. II.

* Actorum XXIV, 16.

** 1. Tim. I, 18, 19. Quem locum integro eoque pereximio libro illustravit Johannes

§. II.

Postquam igitur pretioso *Christi sanguine*, cujus meritum & infinitam virtutem vera fide apprehendimus, *conscientia nostra mundata est*, * eam ut conservemus bonam ac illæsam, sollicita opus est cura, ne vel committendo, vel omittendo divinas leges migremus, sed de supremi Numinis gratia omnibus mundi thesauris longè præferenda, certi semper simus.

§. III.

Cum vero in lubrica hac, qua vivimus, rerum humanarum conditione lapsus sit facilis, finis iste ut eò felicius & certius obtineatur, singularis requiritur sapientia ac studium indefessum. Hinc non solum à singulis Christianis vitæ suæ rationem circumspectè instituentibus licita nonnulla ob illiciti viciniam vitanda sunt; verum etiam ut id certis in casibus fiat, summus Magistratus vera religione imbutus, tanquam Decalogi custos, sapientissimis suis Constitutionibus velut Legum Divinarum cancellis intendit. Illis enim cives & subditos in arctissimo divinæ voluntatis studio, quoad ejus fieri potest, retinere studet.

§. IV.

Ac duobus hisce momentis qualicunque hac Dissertatione lucem aliquam affundere, divino fretus auxilio mecum constitui. Priori enim parte singulorum fidelium officium pro ingenii mei modulo indicaturus, posteriori vero supremi nostri Magistratus non satis prædicandam hac in re sollicitudinem submisit veneraturus sum. Nam plura Disciplinæ Moralis Capita, quæ ex hoc principio vel dijudicari vel illustrari possent, hac vice attingere non vacat.

§. V.

NOTA SCHEFFIELD, Concionator Londinensis, ubi tota doctrina de Conscientia ex professo tradita est.

* Ebr. IX, 14.

§. V.

Verum enim vero, dum piis incumbere Christianis Pars Prior.
Caput. I. assero, ut licita quædam, quod ab illicitis prope absunt, intermittant, nullo modo Pontificiorum huc referenda sunt instituta, quæ partim jejunia aliaque talia dimetiuntur, partim cultum publicum concernunt. Illi enim dum res liberas pro necessariis venditant, Schema Veteris Testamenti postliminio introducunt, ac non raro libertatem in tyrannidem, religionem in hypocrisim convertunt. Quod si vero quis mitius de talibus institutis sentire velit, minimum tamen illa ad corporales exercitationes, uti Scriptura sacra eas vocat, parum habentes utilitatis, referenda erunt. Illius contra pietatis exercitium tenuibus hisce paginis respicitur, quæ *ad omnia utilis, & promissiones habet vitæ presentis & future.**

§. VI.

Neque Consilia, quæ iidem Romani Pontificis asseclæ vocant Ecclesiastica, approbari possunt. Hi nimirum Leges quidem Christianis quibusvis, quam infirmi & ignavi etiam sint, traditas esse, Consilia autem ad illos saltem pertinere ajunt, qui alacriores sunt & ad ulteriorem perfecti-
onis gradum tendunt. Quemadmodum vero illud in-primis hac in sententia virgulam Censoriam meretur, quod Consilia in meritum vergere ponit; ita vel hac ratione confutari potest, quod nullum excogitari queat Consilium, quod non in primo jam Decalogi præcepto, omnes certe homines obligante, contineatur. Imo magnus CHEMNITIVS pro more suo solidè & accuratè inquit:
*** Quicquid est maximè insignium depravationum doctrina Legis, in figmentum de Consiliis agminatim confluit. In*

A 3

his

* 1. Tim. IV, 8.

** Locis Theol. part. III. Edit. fol. 1690. p. 102 seqq. ubi integra hæc de consiliis materia egregie est proposita, & erronea sententia explosa.

his consistunt nervi non tantum Vita Monastica, sed totius regni Pontificii.

§. VII.

Non magis illorum menti per omnia subscribere audeo, qui cum *Gisberto* VOETIO celebri Reformatorem Theologo Præcitatam quandam introducere allaborant. Postquam enim ULTRAJECTIVS ille Doctor Dissertationem suam de *Præcitate* conscripsit,* multis in eodem aliisque cœteribus sese approbavit. Sicut autem non pauca in illa Exercitatione, verbi gratia, quæ de Reformatione sui ipsius traduntur, digna sunt, quibus pii calculum suum adjiciant; ita multa quoque ibi inveniuntur, quæ mea facere nolim. Quæ in Cultu Dei externo amplius reformari & quasi præcidi vult, hujus non sunt loci. Illud autem unico notare liceat verbo, quod ejus generis multa, quo digitum suum intendit doctissimus vir, salva conscientia retineri posse mihi videantur, si modo superstitio & opinio meriti ab iis separentur. Quæ vero circa capillorum ornatum aliaque externa, de quibus sub Titulo Excelso- rum Mundi alibi quoque differuit, monentur; facta distinctione inter diversos hominum status, qui Deum habent auctorem, & qui vestitus etiam atque habitus differentiam admittunt, dijudicari possunt.

§. VIII.

Minimè omnium castra Fanaticorum sequenda esse existimo, qui ipsa bona Dei instituta rejiciunt, & licita pro illicitis habent. Illi enim ut plurimum ambitione quadam ducti vulgaria fastidiunt, communia respuunt, & in Licitis à via communi & trita ita discedunt, ut ad illicita & prohibita prolabantur. Nonnulli etiam dum sacra magis magisque igne purificare alieno student, in-
fau-

* Quæ parte III. Dissertationum selectarum p. 59. seqq. invenitur.

faustis similes sunt Alchemistis. Nam sicut hi nobilissimam ex metallis partem extracturi laboris sui eum sæpe habent fructum, ut spem cum fumo ex camino aufugere videant; ita illi id efficiunt, ut omnis tandem eorum religio in fumum abeat. Quod quanto hætenus veræ Religionis sinceræque pietatis detrimento factum sit, rerum non ignari mecum ingemiscentes fatebuntur.

§. IX.

Quod si extra oleas vagari & falcem in Philosophicam messem immittere liceret, possem etiam hac occasione ostendere, quam inique nonnulli obtorto velut collo Stoicorum distinctionem inter Officium Imperfectum, quod ab omnibus viris honestis requiritur, * & Perfectum, quod à nemine nisi à sapiente, mirifica multa efficiente, expleri queat, ** huc trahant. Ex veteribus saltem nomino CLEMENTEM Alexandrinum. Quamvis enim Patribus Platonicis vulgo adscribatur, & quidem non sine gravi causa; Stoicam tamen illam distinctionem deamavit & ad indolem veri Christianismi incautè applicavit, ut ex Pædagogo ejus constat. * Quomodo verò hoc Stoicorum palladium in Platónico templo consistere queat, ex eleganti illâ maximè Reverendi Domini МОШЕМИ observatione liquet, quod ejusmodi doctores, quales Clemens fuit, ex re & vero Eclec-
tici extiterint, ob studium vero virtutum Theurgica-
rum

* Quod καθήκον vocant conf. 6. D. Michaëlis FÖRTSCHII Dissertationes Ambrosianæ, Disp. I.

** Quod κατόρθωμα appellant. Conf. Cicero lib. 1. de Officiis, qui tamen alibi observat, quod Stoici hac in re secum pugnent. Cæterum inter illos, qui Stoicam sectam nimis obiter considerantes, illam cum Christianismo contenderunt, è veteribus eminet Hieronymus, qui illam simillimam censet Christianæ Religionis, teste Ludovico Vive Annot. ad Augustin, libros de Civitate Dei, Lib. IV. c. 3. p. m. 389.

*** Excusatur tamen à beato D. FÖRTSCHIO Disp. Amb. II. §. 6.

rum Platonicos sese appellaverint. * Verum cum Moralia ex pura scaturigine profluentia jam contempler, illud saltem moneo, non paucos, qui Christi nomen in ore gerunt, illis ex porticu Philosophis esse similes. Dum enim de Officiis Christianorum magnificè loquuntur, multis vitiis immerfi vivunt, *culicesque colant & camelos deglutunt.* **

§. X.

Denique non est animus, scrupulos injicere fidelium mentibus, quippe qui praxin pietatis magis impediunt, quam promovent. Et quantum scrupulosa Conscientia à pia Christianorum sollicitudine, de qua mihi sermo est, differat, clare patet, si naturam conscientiae scrupulosae consideremus, quam *B. I. B. NIEMEIERVS* nervosè admodum delineat. * Illa, inquit, practicè quidem judicatum aliquid esse, de quo tamen an sit licitum, nec ne, speculativè dubitat, idque ob timiditatem & anxietatem, quandam, ex levi vel etiam nulla ratione injectam. Id, quod scrupulum vocamus. Inprimis vero operam dare, oportet, ne scrupulus animo injiciatur; sin cum qualicunque ratione injectus fuerit, hoc agendum, ut vel nostra, vel aliorum ope eximatur. Si ratione nitatur nulla, aut, superstitione sustentetur, erit insuper habendus. Hactenus beatus meus in illustri Julia præceptor. Qui cum scrupulos superstitione sustentari tradat, Doctoris mei in Academia Salana, celeberrimi Domini *I. F. BVDDER*, hac de re verba, priora illa ex parte illustrantia, ascribere non pigebit. ** Rursus alii per nimiam falluntur scrupulositatem.

* Conf. Diss. de Turbata per recentiores Platonicos Ecclesia, habita Helmst. 1727.

qua materiam hanc justo opere se deducturum esse, sponder.

** Matth. XXIII, 24. De hoc proverbio pauca, sed solida & huc spectantia habet *Andreas SCHOTTVS S. I.* in Adagialibus sacris, add. *Joh. VORSTII* Diatribæ de Adagiis N. T. c. III, p. 509. sqq.

* Theologia Morali Disp. XVI. §. 30 & 31.

** Institut. Theol. Moral. part. I, cap. I, Sect. III. §. 18.

tem. Quod illis fere contingit, qui in statu servitutis sunt constituti. Cum enim sæpius conscientia angores & scrupulos sentiant, hoc pro signo conscientia teneris habent, indeque concludunt, cum circa vitam recte instituendam admodum sint solliciti, certissimum hoc esse fidei signum. At cum ex servili metu hæc omnia proficiantur, velentque libenter, si hic non obstaret, suis indulgere vitiis, ista conscientia scrupulosa specie se ipsos decipiunt turpiter.

§. XI.

Quemadmodum vero pius quilibet sanctissimi nostri Servatoris discipulus caver, ne erroneas hæc, quas strictim recensui, opiniones suas faciat, & consequenter nubem pro Junone, sive larvam pietatis pro pietate ipsa amplectatur; ita omnem dat operam, ut postquam à Spiritu Sancto illuminatus & regeneratus, ac prudentia cœlesti imbutus est, oblata occasione certas quasdam actiones divina lege permissas devitet, ut eò longius à malo absit, conscientia tranquillitate & parrhesia gaudeat, Deoque purissimo Enti benè placeat.

Caput II.

§. XII.

Necessaria itaque est assidua verbi divini meditatio, ut de voluntate Dei certi reddamur. Illud enim nos instruere, imò *sapientes reddere* potest. * Hujus ut sequamur ductum, tanquam lucidissimam cynosuram, Davidis invitamur exemplo, magna cum fiducia inquentis: ** *Tunc non erubescam, quum intuebor in omnia præcepta tua.* Postquam enim in antecedente commate in votis habuisset, ut viæ suæ, quæ variis scandalis & erroribus obscuræ, difficiles, confragosæ & ambigua reddantur, certæ sibi & expeditæ

B

pedita

* σοφισται 2. Tim. III, 15.

** Psalmo CXIX, 6. : אֵלֶּיךָ יְיָ אֱלֹהֵינוּ אֵלֶּיךָ יְיָ אֱלֹהֵינוּ אֵלֶּיךָ יְיָ אֱלֹהֵינוּ Videatur COCCEI vs in Psalmos, ad h. l. præsertim ad v. 5.

peditæ essent ; modum, quo ipse & alii tam honestorum
votorum compotes fieri queant, ostendit, nimirum si ad
amussim Scripturæ nostræ exigantur actiones. Illa enim
perspicuè & sufficienter innuit, quæ *liceant*,* ac proinde
in eodem Psalmo *Lucerna* ac *Lux* in itinere eleganter ap-
pellatur. ** Etenim quæ *Matthias* FLACIVS, Theologus
famigeratissimus atque eruditione nemini forsan secundus,
de variis gradibus Juris & Liciti habet, *** fundamento
carere videntur. Imò dum distinguit inter licitum, man-
datum, probatum, adiaphoricum, permissum aut indul-
tum, toleratum, & denique improbatum, vero est simile,
magnum illum virum in posterioribus potissimum mem-
bris ingenio suo indulgere, minus adæquatè distinguere &
verbis ludere. Licitum enim improbatum non est lici-
tum, sed illicitum. Exemplum, quod in medium produ-
cit, de Israëlitis, qui Regem desideraverint, & quibus per-
missum, invito licet Deo, habere Regem, ita, mea quidem
exigui hominis sententia, considerari potest, ut tempora
distinguendo dicamus, initio fuisse illicitum, Regem desi-
derare, deinceps vero licitum fuisse, volente siquidem &
annuente Deo, sub Rege vivere. Id quod vel solo Davi-
dis exemplo constat.

§. XIII.

In illa itaque fidei ac morum exactissima norma, Sa-
cra scilicet Scriptura, Christiani observant, bonam illam,
placentem ac perfectam Dei voluntatem & hoc requirere,
ut nos ipsos abnegantes ad gloriam supremi Numinis, no-
stramque & proximi salutem eò feliciter promovendam,
quædam, quæ si in se & suapte natura spectentur, licita
sunt, interdum omittamus.

§. XIV.

* De Etymologia vocum *Licitum*, *Licer*, *Liceo*, conferatur Martini MARTINII
Lexicon Philologicum sub his articulis,

** I. c. ad vocem *Via*.

*** Clave Scripturæ S, ad vocem *Licitum*,

§. XIV.

Tota enim fidei & vitæ Christianæ ratio cum Via comparatur, idque non sine magna fit emphasi. Quod cum neminem temere lateat, & à laudato Flacio pluribus explicatum sit, unum vel alterum saltem Scripturæ locum hac de re recitabo. David rex idem & vates ait: *Novit Dominus viam iustorum, iter autem iniustorum peribit.* * item: *Vias Tuas, Domine, ostende mihi, & semitas tuas doce me.* ** Propius vero ad nostrum spectant institutum laudatissimi hujus Psaltæ verba: *Observato vias meas, id est, sedulo caveto, ne peccem lingua mea; *** nec non illa Servatoris nostri: Via est stricta, quæ ducit ad vitam.* *

§. XV.

Sed insignis hæc vitæ Christianorum cum Via comparatio clarior, & scopo nostro magis erit accommodata, si talem in specie ob oculos nobis ponamus viam, quæ ratione vicinæ variis exposita est periculis. Atqui viator, qui in prærupto ambulat monte, cui profunda vallis aut infida aqua vicina est, magna utitur cautione. Imò licet ipsa via, quæ periculoso loco proxima est, si consideretur sola, æque plana sit, quam illa, quæ amplius à valle aut aqua distat, prudenter tamen illam devitat. Quænam vero alia hujus circumspeditionis est ratio, nisi metus, ne in vicinum incidat locum, è quo periculum imminet. Eandem ob causam Christiani, de salute sua solliciti, in via hujus vitæ à quibusdam rebus per se licitis recedunt, quia illicita & periculi plena prope ab iis abfunt, in quæ, tanquam in præcipitium quoddam, facile est prolabi.

B 2

§. XVI.

* Psalmo I, 6.

** Psalmo XXV, 4, 5.

*** Psalmo XXIX, 2.

* Matthæi VII, 14.

§. XVI.

Inter illos, qui tum præcepto, tum exemplo hocce officii Christiani caput inculcarunt, ille eminet, cujus primo statim paragrapho honorificam mentionem feci. Paulum intelligo, solertissimum illum divinæ voluntatis interpretem. Inprimis huc spectant ponderosa ejus verba: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.** Quibus idem illud innuit, quod Dissertationis hujus præ se fert titulus. *Hugo* GROTIUS quidem, vir cæteroquin, quo nihil est doctius, verba hæc, uti consuevit, ita illustrat, ut sensus emergat rapidus, sine nervo, sine spiritu, sine gustu cœlesti.** Priora enim verba: *Omnia mihi licent*, ex ore Corinthiorum, Apostolum repetere scribit, (id quod non adeò incommode statuitur,) nimium opiparorum esculentorum usum aut valetudini aut rectæ rationi obesse, tradit, (quod rapidum,) & parallela Gentilium Scriptorum loca adspersit, (quod frigidum.) Sicut vero *Abrahamus* CALOVIUS monuit, interpretationis Grotianæ nullum in textu apparere vestigium, ita contra ostendit, Apostolum potius se sistere exemplum submissionis, in *Adiaphoris* ac *Lege* divina minimè prohibitis, quod non, quid liceat, sed quid conducatur, observet. Non displicent, quæ *Friedericus* BALDWINUS, qui utramque, quam CALOVIUS calefecit, cathedram cum maximè ornavit, in hunc locum habet, dum ita scribit: *Apostolus objectionibus Corinthiorum respondet. Dicere potuissent, quid nos objurgas ob actiones forenses, ob liberio rem vini usum & similia? attamen nos Christiani sumus, quibus liberrimus istarum rerum usus utique concessus est. Quibus respondet Apostolus his verbis: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.****

§. XVII.

* 1. Cor. VI, 12. πάντα μοι ἔξεσι, ἀλλ' ἄ πάντα συμφέσι.

** Apud CALOVIUM Tom. II. Bibliorum Illustratorum, editionis de anno 1719. p. 307.

*** Ad prudentiam Christianam hoc pertinere dictum, asseritur in SCHOTTI Adagijs S. ad h. l.

§. XVII.

Hæc sententia ab eodem meritissimo Apostolo, & iisdem fere verbis alibi repetitur. * *Omnia quidem, ait, mihi licent, at non omnia conducunt. Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Sermo ibi est de eorum, quæ idolis immolata sunt, usu. Quemadmodum in novo fœdere, quod *non in cibo & potu, sed in iustitia, pace, & gaudio in Spiritu Sancto consistit,* ** per eam, quam Paulus tot locis, tot argumentis inculcat, libertatem, cibos idolis consecratos comedere licet; ita tamen idem Paulus nonnunquam ab hac libertate recedendum esse docet, ubi scilicet illicitum aliquid timendum. Nimirum ex una parte scandalum proximi, cujus ædificatio in omnibus actionibus sollicitè quærenda est; ex altera vero propriæ salutis destructio, quoniam varia tum peccata facillimè propullulant, quando rebus licitis nimis incontinenter indulgetur.

§. XVIII.

Atque adeò duplicis illiciti vicinia heic loci consideranda venit, quorum alterum personam Proximi, alterum Propriam agentis personam concernit.

§. XIX.

In Proximi persona quandoque oboritur illicitum, quod ut, quantum in nostris viribus situm est, impediamus, licita quædam vitanda sunt. Atque hic non exigua pars illustri loci Theologici de Scandalo sese offert, quæ cum ubique fatis exposita inveniatur, paucis saltem observationibus à me illustrabitur.

Caput, III.

§. XX.

Patet autem cuivis, mihi nunc non esse sermonem de scandalo dato, prout vox ista communiter sumitur, nempe pro dicto aut facto, minus recto aliis occasionem ruinæ

B 3

præ-

* 1. Cor. X, 23,

** Rom, XV, 17,

præbente. * Hæc talia enim tanquam prorsus illicita vitanda esse, nemo unquam sanæ mentis inficias iverit. Verum alii etiam nonnunquam peccandi occasionem sumunt, si quis bona facit. Nimirum bonæ actiones interdum imprudenter, atque ubi rationes omnes non probe subductæ sunt, instituuntur, unde contingit, ut malam habeant speciem. Qua in re ut circumspecte incedamus, notissima illa monemur regula: *Ab omni mali specie abstinete.* **

§. XXI.

Neque de illo accepti Scandali genere loquor, quo Irregenti omnia bona in malam rapiunt partem, venenum ex floribus fugentes. Ita Pharisei, progenies illa viperarum, ex Servatoris & *Johannis BAPTISTÆ* moribus, licet inter se invicem diversis, scandalum accipiebant. *** Ita etiam proh dolor! pleræque piorum actiones, pleræque eorum instituta, schemati hujus mundi parum conformia, iis, qui terrestria sectantur, offendiculo sunt. Sed illud intelligo scandalum, quando Christiani bonas de rebus quibusdam sacris formarunt ideas, aut bona quædam agunt aut suscipiunt, quibus alii Christiani infirmiores non fatis de iis rebus instructi, aliquo modo læduntur. Prius itaque quam aliquid novi vir pius aggrediatur, aut in Ecclesiam introducat, alios ut instruat, atque multa opera erudiat, necesse est. Quod si ab iis, qui innovandi in sacris pruritu laborarunt, per singula Novi fœderis secula observatum esset, tot certè turbæ non fuissent excitatæ.

§. XXII.

Quam cautè processerint viri Divini in abrogatione Legum Ceremonialium, ne præcipitanter agerent ac per ple-

* Quæ scandali Descriptio ex THOMAE 2. 2. Qu. 43. Art. 1. vulgo circumfertur.

** 1. Thess. V. 22.

*** Matth. XI. 18. 19.

plenariam libertatis Christianæ introductionem, uno impetu factam, imbecilles offenderent animos, non satis in aureolo libello, qui Acta Apostolorum describit, cœlestiumque Nunciorum Epistolis, considerare atque mirari possumus. Prudentiam serpentum exercuerunt, qua plagam in corpore aliquando exceperunt, ut caput illæsum maneret. Instruxerunt auditores, & sensim quidem, ut opiniones, quibus ab incunabilis innutriti erant, pederentim eradicarentur, atque sic Synagoga cum honore sepeliretur.

§. XXIII.

Ne igitur & nos hac in re offendamus, & Proximo nostro occasionem præbeamus, in illicita incidendi, circa rerum quarundum in Sacris innovationem cautelæ quædam commendandæ sunt, è Christi et Apostolorum agendi modo fluentes. Et quidem, quod primo ad ideas quasdam five veritates attinet, hæ mihi regulæ non videntur inutiles. Quod nempe falsâ nunquam sint docenda, cum sic Sathanæ evadamus mancipia; Quod porro Veritas ad salutem necessaria nunquam sit tacenda, sed potius cum vitæ periculo inculcanda; Quod deinceps Veritas ad salutem non necessaria nunquam negari, multo minus in gratiam hominum oppugnari debeat; Quod denique illa ipsa interdum taceri, atque ad tempus occultari queat, si nempe scandalum rudium parit, si plus destruit quam ædificat, et si certamina Concordiam Ecclesiæ turbantia excitat. Pari ratione de Agendis & Institutis censendum esse existimo, videlicet ne ea, quæ in se illicita sunt, respectu alicujus utilitatis, quantacunque etiam specie fulgeat, unquam peragamus. Vt contra, quæ absolute necessaria sunt, metu alicujus incommodi neutiquam intermittamus. Verum ut simul probè observemus, quasdam, quæ alioqui bona, licita, imò utilia sunt, tutius omitti,

omitti, quando patet, nos nihil effecturos, occasionem peccandi aliis duros, et alia bona hoc ipso impedituros esse. Sic regia nos inter hypocrisin, larvam illam Diaboli, atque imprudentiam via incedere posse arbitror.

§. XXIV.

Hisce omnibus luculenta exempla subjicere possem, nisi brevitatis oporteret esse studiosum. Hinc duo in oculos incurrentia saltem ex historia laudati sæpius Gentium Doctoris subnectam, ex quibus apparet, quantum is vestigia Servatoris secutus, in Prudentia Christiana atque abnegatione sui ipsius profecerit, & quam lubens à jure suo ac licito recefferit, ubi metuit, ne aliis scandali præberet occasionem. Vnum exemplum ad Veritates pertinet; alterum ad Praxin Christianam.

§. XXV.

De vero Novi Testamenti Genio Paulus satis erat instructus, probeque norat, ritus Ceremoniales, adeoque & Nasiræatum, * qui Christum ejusque sanctissimam vitam præfiguraverat, nullius amplius esse utilitatis. Attamen, cum videret, multos è Judaismo conversos Christianos præconceptas suas de talium rerum necessitate ac valore opiniones nondum deposuisse, atque ab integra Pauli doctrina facile posse abstrahi, si mentem clare expositurus esset; infirmitati illorum prudens indulgit, animi sui sensa ad commodius usque tempus occultavit, & impensas ad vota *Nasiræatus* solvenda pro quatuor viris suppeditavit.** Ad Praxin Christianam quod attinet, tam ex jure naturæ communique gentium consuetudine, quam ex Regula optimi Servatoris, qua *operarium dig-*
num

* De *Nasirais*, illorumque jure, præter multos alios conferri potest, LVNDIUS in *Jüdischen Heiligthümern*/ Lib. III. c. 53. p. m. 689.

** Act, XXI, 21, 24.

num esse mercede sua, pronunciavit, * certus erat, licere sibi Stipendium Laborum suorum sacrorum petere & accipere. Nihilominus tamen apud Corinthios, ** & apud Ephesios *** labore manuum, & quidem scenopegias arte victum sibi quæsit. Videbat enim sagacissimus Apostolus, fore ut ex libero juris usu occasio de se conquerendi nasceretur, quasi nova sua doctrina expilaret hominum loculos, & sic non tam animas, quam pecuniam eorum quæreret. ****

§. XXVI.

Cum igitur Cœlestis Regis Legati verba sua & facta ponderaverint, serpentinamque prudentiam cum columbina simplicitate ubique conjunxerint, eum in finem, ne vel ipsis vel aliis via ad illicitum aliquod panderetur; qualis veri Christianismi sit genius, quidve ejus requirat dignitas, prono inde fluit alveo.

§. XXVII.

Dixi autem, non facta solum, sed & verba æqua lance esse pensitanda, ut scandala evitentur. Hinc Divinarum Legum explicatio ita instituenda est, ut auribus atque animis parcatur. Licet enim præcepta, quæ traduntur, sint bona, licet etiam intentio non sit mala; plus tamen destruunt non rarò, quam ædificant, qui auditorum aut lectorum circumstantiarumque aliarum rationem insuper habent. Hinc eruditorum notam incurrerunt Scriptores illi Romano-Catholici, qui Casus Conscientiæ & Moralia tradiderunt. Quos inter Thomas SANCHEZ Jesuita

* Matth. X, 10. conf. Benediæ ARETHI Problemata Theol. Loc. X, ubi ex instituto de stipendiis ministrorum agitur.

** Act. XIX, 3.

*** Act. XX, 33 sqq.

**** 2. Thess. III, 8. 9. *Nec gratis panem manducavimus a quoquam, cum labore & sudore, nocte dieque, facientes opus, ad hoc, ne cui vestrum essemus oneri. Non quod id nobis non liceat, sed ut nosmet ipsos formam exhibeamus vobis ad imitandum.*

suita Hispanus præcipuè malè audit. Hic enim in spisso volumine, Genuæ impresso, in Regulam hanc Prudentiæ Christianæ nimium quantum impexit. Nam varios casus, qui sextum præceptum concernunt, tali exposuit modo ut infirmorum animis aut castis aliorum auribus nullatenus pepercerit. Quæ Sorbonistæ, nec non JVRIVS, RIVETVS, & alii contrà eum, RAYNAVDVS verò cum aliis pro ejus defensione scripserunt, collegit, & pro more suo eleganter depinxit ingeniosissimus BÆLIVS. * De talis modi Casuistis in genere *Johannes Christophorus BECMANNVS* ita loquitur: ** *Neque dubitamus, ex hoc capite* (de iis, quæ per naturam cum pudore occultanda sunt, dixerat,) *Moralium scriptores Catholicos magnam partem accusari posse, qui nulla alia in re Casuum adeo fecundi sunt, quàm in lese castitatis materia, quasi campus hic ipsorum esset, in quo soli decurrerent, cum tamen soli per leges proprias Casus lectori offerre, sine tentatione ejus fieri vix potest, & ingenia humana ad solam mentionem rei, vetitæ alias & ignotæ, facile moveri possunt. Suo loco relinquimus, an ipsi scriptores sine immunda cogitatione omni in tanto dubiorum suorum apparatu maneant.* Ita BECMANNVS. Eandem ob causam minister ille Evangelicæ Ecclesiæ in Saxonia superiori, qui de Peccatis non satis vulgo agnitis scripsit, Prudentiæ Christianæ leges sæpè migrasse, nonnullis videntur.

§. XXIX.

* Dictionaire Historique & Critique, Article SANCHEZ, Tom. III. p. 2530. & seqq. Ipse BÆLIVS suam hac de re mentem sequentibus verbis declarat: *Il seroit à souhaiter, que l' Ouvrage imprimé à Genes & puis en bien d'autres lieux, donnât autant de preuves de son jugement, que de son esprit & de son savoir, car la temerité, qu'il a eüe, d'y expliquer une multitude incroyable de questions sales & horribles, peut produire de grands desordres. On s'en est pleins amèrement, & tout ce qui a été dit pour son justification, est faible.*

** Linceis Doctrinæ Moralis C. XV. §. 17. p. 240.

§. XXIIIX.

Quemadmodum itaque licita quædam ea fini vitanda sunt, ne proximus in illicitum prolatur; ita quoque ne ipsi aliquid illiciti committamus, illa nonnunquam intermittere decet, quæ si, nullo alio respectu habito, confiderentur, nequaquam sunt prohibita. Et de his ut aliqua in medium proferam exempla, instituti ratio postulat.

Caput. IV.

§. XXIX.

Quæ de Vindicta Privata, de Existimationis suæ defensione, de Actionibus Iniuriarum, civili jure permittis, aliisque hujus generis momentis, inter Juris Naturæ, Moralis Disciplinæ, ac Legum Doctores disputari solent, lucem ex hoc principio accipiunt. Famæ quidem rationem habendam esse, nemo nisi sordidus, & Chryssippi aut Diogenis Scholæ addictus negaverit. Sapientissimus mortalium, Salomo in Proverbiis, quibus mores hominum formantur, docet, *magis expectandum nomen honestum, quam divitias multas, item argento & auro præstantiorem esse bonam famam.**

§. XXX.

Illam igitur quin studiose conservari debeat, & contra inimicos legitime defendi possit, nullum est dubium. Hinc per Viam Juris ordinariam istam suscipere defensionem licet. Christus enim legitimorum judiciorum ordinem, qui in Veteri Testamento comprobatus fuit, neutiquam abrogavit. Multi quidem ex verbis, quæ Optimus Servatos his de rebus pronunciat, ** colligunt, ac si omnis tam famæ quam vitæ defensio, injuriarumque declinatio prohibita sit. Verum enim vero, dum Redemptor noster Apostolis dicit: *Ne obstitite improbo; sed qui te cedit in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram, & ei qui velit tecum*

C 2

con-

* Prov. XXII, 1.

** Matth. V, 39. 40. Luc. VI, 29. 30.

contendere, ac tunicam tuam capere, dimitte illi etiam pallium; partim verba sua opponit corruptelis Pharifæorum, qui Legem talionis, quam præcedente inciso allegaverat, ita interpretabantur, quod quisque privatus non interpellato Magistratu, recte posset quærere & exigere rigidam illam vindictam; partim vero respicit tempora persecutionum, quæ Apostolis primisque Christianis patienter erant tolerandæ.

§. XXXI.

Quamvis itaque famæ defendendæ causâ actiones injudiciis instituere, non sit prohibitum; omnes tamen piii ea in re caute versantur, talesque actiones sæpius intermittunt, quoniam vicinum est illicitum. Nimis, in quam, illis vicina est vindictæ cupiditas, a qua verbum divinum seriò nos dehortatur. Vicina sunt vitia & crimina, animorum acerbitates; jurgia, rixæ, contentiones, convitia, maledicta, quæ tandem exeunt non in clancularias saltem similitates, sed & frequenter in apertas & acerbissimas inimicitias.

§. XXXII.

Porro huc pertinet quæstio de largiori potu. Licitum est homini æterna sectanti creatis rebus, vino, aliisque terræ proventibus uti, illorumque præstantiam, dulcedinem, & vim in conservandis, corroborandis, acrefoecillandis corporibus insignem mirari. * Licitum ei quoque est, cum delectatione quadam tam eximiarum rerum fructum percipere. Cum tamen nemo mortalium tam pius, tam prudens & tam potens sui ipsius moderator sit, ut de justo termino inter hilaritatem atque ebrietatem constituere, certus esse queat; à largiori potu in se non prohibito homo pius abstinet, metuens, ne in ebrietatem, magnum illud contra consciëntiam peccatum incidat: cujus

* Psalmo CIV. 17. Sirac. XXXI. 32, 33, 34, 35.

jus delicti gravitas, quamvis parum pensitetur, à Christo & Apostolis satis est proposita. * Vnde Johannes Episcopus Constantinopolitanus, qui ab Eloquentia CHRYSOSTOMVS appellatur, hominem ebrium *animatum cadaver* vocat. ** Imo ex uno illicito varia illicita nascuntur. Quare Paulus in Vino jam esse *luxum*, id est, plurima ex nimio ejus usum oriri peccata, tradit. *** Ob quam causam beatus Johannes GERHARDVS Ebrietatem dicit universalem *influxum* habere *ad omnia peccata*. **** Cum vero hac de materia pene omnes, qui moralia aut ascetica proponunt, vel homilias scribunt, aut ad populum habent, quotidie agant, nihil de ea addo, nisi id, quod *Abrahamus CALOVIVS* ad supra allegatam ex priori ad Corinthios locum annotat: *Dilapsus est Apostolus*, ita habent verba CALOVII, *occasione taxata ebrietatis, ut moneret, non tantum abstinendum esse à potu illicito poculi, quod vocant, ebrietatis; sed à poculo quoque licito, nempe hilaritatis, quemadmodum nuncupari solet.*

§. XXXIII.

Pari ratione ex hoc nostro fundamento judicari posse arbitror de Præcedentia, quam dicunt, litibusque inde exortis. Nimirum Præcedentia, qua quis honoratiorem præ altero locum occupat, tam licita est, quam certo diversis à Deo constituti sunt hominum status. Tam necessaria quoque est, quam necessarius est ordo à summis Imperantibus sapienter dispositus. ***** Multo enim jure contra Anabaptistas eorumque affectas defendimus, hominem Christianum in civili vita altero vel ratione officii publici, vel ratione senii esse honoratiorem, & priori loco dignorem.

C 3

* Luc. XXI, 34 Rom. XIII, 13.

** Homilia I. ad pop. Antioch. super dictum I. Tim. V. 23. edit. Gotting. p. 18.

*** Ephes. V, 18. ***** Schola pietatis Lib. IV. p. m. 917.

**** vid. Sam. P VFFEND. de Off. Hom. & Civ. Part. II. c. 14. §. 16.

rem. Quo spectat Divi Pauli effatum: *Honorem exhibete, cui honor competit.** Imo furor ille Anabaptistico-Fanaticus totum evertit vitæ humanæ ordinem, totam naturam. Verum ab illo, quod licet, pii Christianii sæpe abstinere. Non quidem eorum sequuntur exemplum, qui ex hypocrisis ultimum occupant locum, eo ipso majorem quærentes gloriam. Sed ex eo capite Præcedentiæ isti non tam arctè inhærent, sed de suo jure sæpe recedunt, quia vicinum illi haud rarò esse considerant illicitum. Ineptam intelligo ambitionem, quæ inter opera carnis referenda est. Cum enim norint, Deum superbis resistere, eò majori nisu omnem evitant superbiam.

§. XXXIV.

Huc quoque spectat fuga Occasionis, qua quis Peccatorum laqueis irretiri potest. Etsi enim quædam loca, quædam actiones, quidam congressus nihil in se habeant illiciti, cum tamen occasionem ad peccata perpetranda subministrare possint, adeoque propinquum habeant illicitum, talia fugit is, cui pietas curæ cordique est. Nam quicumque ab igne procul recedit, non comburitur. Qui contra in littore maris ambulat, à vento aut fluctibus abripitur. Probè hoc perpendit JOSEPHVS, JACOBI Patriarchæ filius, non minus prudens, quam fortunatus. De eo enim relatum legimus in Originibus sacris Mosais, quod cum abhorreret à crimine, magna cura evitaverit occasionem, atque adeò caverit, ne lascivæ heræ esset propinquus.** Laudabile hoc exemplum imitantur, qui sapiunt.

§. XXXV.

Periculi contra plenissimum fuit institutum *Roberti de ABRISSELLO*, Ordinis Fontebrauldensis sub finem seculi

* Rom. XIII, 7.

** Gen, XXXIX, 9.

culi undecimi fundatoris, si quidem vera sunt, quæ de eo narrantur. Illa enim quæ ex Epistolis duabus, quarum altera à Patre Sirmondo 1610, altera à P. Natalé Alexandro 1683. edita est, in ejus opprobrium recensentur, Pater de la MAINFERME confutare suscepit.* Verum hæc velut in transitu. Vtinam nostro, quo vivimus, tempore homines peccandi occasiones varias fugerent, nec in delicta atque crimina cæci quasi ruerent.

§. XXXVI.

Non procul ab hac materia remota est quæstio: An cum Infidelibus aut in Doctrina Christiana errantibus conversandum, atque num Libros illorum legere liceat, nec ne? Vbi sane ab iis, qui rem, uti decet, considerant, negari nequit, non solum conversationem istam, sed et Librorum, qui auctores habent à sanæ doctrina recedentes, lectionem nequaquam esse prohibitam, imo illis qui satis sunt instructi, multas ob causas esse necessariam. Id quod contra Pontificios, Lectionem librorum à nostratibus alisque, quibus cum Romanensibus non eadem in sacris est sententia, editorum prohibentes, dudum est demonstratum. Quo ipso simul exre & vero annotatum est, Indicem Purgatorium, uti vocant, ad documenta malæ ipsorum causæ suo quodam jure pertinere.** Quod si vero infirmiores ac non satis exercitatos contemplamur, prope ab ista conversatione atque lectione corruptelam in religione abesse, illamque tutius intermitteri, patebit. Quod enim ad commercium cum infidelibus aut errantibus attinet, huc applicari possunt ponderosa Senecæ verba: *Su-*

mini-

* In Clypeo nascentis Fontebraldensis Ordinis, contra priores & noyos eius calumniatores, Parisiis 1684, in 8. v. Nouvelles de la Republique de Lettres par Mr. Baile Avril. 1686. p. 384. f.

** Videatur elegans Disputatio de librorum prohibitorum Indicibus, sub præsidio Maxime Reverendi Dni D. J. C. SCHRAMMII, in Academia Helmst. 1708. habita.

muntur à conversantibus mores. Et ut quædam in contactos corporis vitia transfiliunt, ita animus mala sua proximis tradit: impudicorum cætus, fortem quoque & si liceat, virum emollit, ebriosus convictores in amorem vini traxit: avaritia in proximos virus suum transtulit.* Libros eorum, qui à typo sanæ doctrinæ recedunt, speciosis autem ratiocinationibus & ingenioso dicendi genere res proponunt, atque sic venenum dulci sub vehiculo propinant, in plurimorum animis errorum semina reliquisse, experientia docet. De Poetarum Ethnicorum lectione, post Johannem OWENVM querelas instituit *Valentinus Ernestus LÖSCHE-RVS.***

§. XXXVII.

Quæ hæcenus dicta sunt, omnia ad curam animæ, à Servatore nostro tantopere commendatam, pertinent. Illam enim cuivis alii sollicitudini præferendam esse, istis docet verbis, quæ ut quotidie ante oculos nobis versentur, digna sunt: *Quid prodest cuipiam, si totum mundum lucratu fuerit, anima vero sua multetur? aut quam dabit quispiam compensationem animæ suæ.****

§. XXXIIX.

Non verò melius animæ prospicitur, quam si torpor & securitas excutitur. Securitati autem obviam itur, si perpendimus, quod is, qui stat, facile cadere queat, & propterea actionibus nostris, secundum lancem sanctuarii quotidie ponderatis atque examinatis, cum timore & tremore salutem nostram operamur. Hac ratione cor observatur, quod Salomon *præ reliquis omnibus custodiendum esse, docet,***** ad unum necessarium tenditur, quod Christus tanquam vitæ nostræ scopum proponit, gressus nostris

* de Ira libi. III. c. 8.

** Evangelische Zehenden. Part. IV p. 128. seq.

*** Matth. XVI. 26.

**** Prov. IV. 23, add. 1. Joh. V. 18.

stri firmantur & conscientia certa, tranquilla ac læta redditur, quò sub initium hujus discursus collineandum esse dixi.

§. XXXIX.

Securitas itaque curæ huic nostræ, qua licita etiam ob viciniam illiciti interdum intermittimus, è diametro opposita est. Securus enim est sine cura, quod vocis etymologia innuit, sine metu, sine consideratione futuri liciti aut illiciti. Ne illa quidem, quæ ante pedes sunt, contemplatur, multo minus futura prospicit. Cumque divini Numinis metus ab oculis ejus remotus sit, tantum abest, ut opera sua ad normam legis strictè & accuratè conformet, ut potius laxè incedat, atque sic ab uno illicito in alterum prolabatur, ac tandem iræ divinæ rigorem experiatur. Securitas enim certissima ad interitum vis est. Vivam hominis securi imaginem Salomon nobis exhibet, dum stolidum juvenem ejusque fata selectis depingit coloribus* Imo Christus ipsè securum aliquem in medium producit, in bonorum terrestrium abundantia animæ suæ salutem insuper habentem, & tristissimam catastrophem subjungit.**

§. XL.

Quemadmodum autem omnes, qui Deum amant, Caput V. Christiani, memoratos intra cancellos semet ipsos continent, ut eò facilius operentur; ita cura hæc atque circumspèctio Ministris Ecclesiæ præcipue incumbit. Quî enim cum Luce comparantur, ii ut præ reliquis omnibus & hæc in parte luceant, vel, ut phrasi Paulina utar, *compositè* & claro die ambulent,*** necesse est. Quorum ve-

D

stigia

* Prov. VII, 6. seqq.

** Luc. IIX, 19. 20.

*** εὐχρημόως, Rom. 13.

figia aliis premenda proponuntur, in illis exemplum hoc Christianæ virtutis excellentissimum fulgere pareft.

§. XLI.

Non solum enim Regula hæc de qua hucusque dis-
ferui à Cœtus divini moderatoribus eam ob causam ob-
servanda venit, quod Christiani sunt, sed ex illo quoque
capite, quoniam Pastores gregis existunt, ad quorum
munus Vitæ sanctitas & integritas tanquam pars quædam
eminens spectat. Duplici igitur obstringuntur vinculo
ii, quibus non satis esse debet, in id omni studio eniti, ut
ipsimet purum virtutis iter ingrediantur, nec ad vitiorum
devia declinent, sed quos omnem quoque movere oportet
lapidem, ut & alii idem ingrediantur iter & ab iisdem
deviis declinent. Accedit, quod uberiori divinæ voluntatis
cognitio, ad quam Ecclesiæ Ministri pro studiorum
suorum ratione pertingere possunt, uberiores etiam re-
quirat profectus.

§. XLII.

Hic jam esset locus de Decoro Ministrorum Ecclesiæ
agendi, sed cum ii, qui sancti Muneris normam vel sub
Ethicæ Pastoralis, vel instructionis, vel collegii Pastoralis
nomine tradiderunt, vel alio etiam modo Pastorem fidum
informaverunt, huic capiti satisfecerint; unum vel alterum
momentum saltem attingam, scopo meo conveniens.

§. XLIII.

Et certum quidem est, Ecclesiæ Ministros tanto magis
Decorum sectari debere, quanto facilius uno quodam
sermone aut gestu auditorum amor aut fiducia imminuitur.
Deficiente vero amore ac fiducia, ipsi obexponitur
ædificationi. Hanc ob causam pii Principes ad veterum

terum Conciliorum * exemplum prohibuerunt, ne Christianorum Cœtuum Antistites ea frequentarent loca, quæ si in se spectentur, sunt honesta & humano generi admodum utilia. Sic verbi gratia Ministris Ecclesiæ in cauponis bibere interdictum est in Ordinatione Ecclesiasticâ ferenissimi Principis Friderici, Brunsvicensium ac Luneburgensium Ducis ** de qua in posteriori hujus discursus parte iterum erit occasio cum laude differendi. Quamvis enim actio ista, cum in tabernis sumitur potus, regulis honestatis non adverteatur; attamen confinium mali obstat, quo minus illa ad prohibita non debeat referri.

XLIV.

Hinc etiam de Quæstione ista decantata: Num Ecclesiæ Ministris saltare liceat? judicium ferri potest. Vnamquamque enim saltationem turpem & illicitam dicere sani non audent Theologi. Qui etiam duriora dicta in Canonibus Conciliorum * & scriptis Patrum occurrentia de impudicis & impiis Choreis interpretantur. Cum enim multi Christiani officii sui obliviscerentur & ad gentilium morem ab impudicis gestibus ad impudicos actus dilaberentur, malo huic occurrendum erat. Atque ut hoc obiter notem, inter utilitates, quæ ex Conciliorum lectione ad eruditos redundant, refert autor infra citatus, quod

D 2

succes-

* Exempli gratia id saltem assero, quod in Concilio Laodicensi seculo IV. congregato decretum est Cap. 24. *Quod nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.*

** p. 24.

* c. 9. Concilii Laodicensi Sec. IV. Cap. LIII. *Ὅτι οἱ δὲ χριστιανὸς εἰς γάμους ἀπερχομένους μὴ βαλλίζειν ἢ ὀρεχθεῖν ἀλλὰ σεμνῶς δεῖπνεῖν ἢ δεῖσαι ἰος πρὸς τὴν χριστιανούς.* Quod non oportet Christianos ad Nuptios venientes, ballare vel saltare. Sed castè canare vel prandere, sicut decet Christianos. Qui Canon inter Canones Ecclesiæ universæ à Justiniano Imperatore confirmatus est centesimos quinquagesimus septimus. Ex Recensione G. T. MEJERI Viri meritissimi p. 117. invenitur apud Caranzam summ. Conc. p. 59.

inde discamus, quomodo à prima severitate & puritate successu temporis abierit Ecclesia & quomodo ingruenti malo remedium sit quæsitum in Conciliis. * Quamvis igitur saltare nequaquam sit res illicita; cum decoro nihilominus sacerdotum parum convenire saltationes cordati judicant. Hinc vir quidam in summa dignatione constitutus idemque prudentissimus, cujus cineres veneramur, optimè ait: saltatio, licet in se sit res indifferens, Ministrum Ecclesiæ propter officium dedecet, imò si vestitum & habitum ejus consideres, pæne est ridicula. Quod effatum pars quædam normæ est, ad quam Ministri Ecclesiæ in Electoratu Brunsvico-Luneburgico vitam suam componunt.

§. LXV.

Sic porro de studio aut arte jocandi pronunciare possumus. Licet enim jocus liberalis & urbanus Christianum ornet, & ad sermonem illum, quem PAULVS requirit ** *gratosum & sale conditum* referri queat; Sacerdotes tamen dum jocantur, facile in scurrilitatem aliquam prolabi possunt atque adeò in Regulam Decori, qua omne id, quod gravitati obest, iis fugiendum est, impingere. Quinimò ea, quæ inter seculares nugæ inter sacerdotes sunt blasphemix, sicut BERNHARDVS Clarævallisensis Abbas alicubi dicit.

§. XLVI.

Præterea in compluribus aliis Casibus Minister Ecclesiæ sibi suisque bene consulat, si requisitum sacerdotum consideret, quod debeat esse *æquus*, qui stricto juri æquitatem præferat, & de suo jure potius cedat, quam rigo-

** Monsieur Salmon, dans le Traité de l'Étude des conciles & de leur Collations, Conf. Acta Erud. Lips. Ao. 1726. Mens. Febr.

* Col. IV, 6.

rigorem exercent, * & dein, si attendat, num in confinio Mali versetur? Malum autem præcipuum, quod evitandum est, cum sit animarum destructio, non sine magna sollicitudine proprias actiones propriaque commoda cum commodis Ecclesiæ & ovium suarum salute quotidie comparabit. Verbo, **HODEGVM** tutissimo semper tramite ingredi oportet.

§. XLVII.

Paucas has lineas hæctenus duxi, ut ostenderem, quod singulis Christianis licita quædam ob viciniam illiciti vitanda sint. Jam in eo versandum mihi est, ut quæ decet, reverentia, summi nostri Magistratos sapientissimas Leges atque Ordinationes Ecclesiasticas, quatenus principio toties allegato innituntur, dilaudem. Id quod brevibus à me fiet.

Pars posterior.
Caput I.

§. XLVIII.

Et primo quidem dubio caret, summis Imperantibus, non tantum quatenus summi Episcopi munus gerunt, sed & quatenus Principes sunt & jus suum in subditos exercent, potestatem condendi Leges Ecclesiasticas competere. Quod contra Romani Pontificis asseclas aliosque sole meridiano clarius à multis est demonstratum.

§. XLIX.

Hinc porro fluit, quod Principes Christiani Civibus suis injungere possint, ut verbum divinum pro norma sacrarum suarum actionum habeant. Quemadmodum enim *Samuel Puffendorffius*, vir præstantissimus, rectè docuit, ** quod *summis Imperantibus incumbat, Legibus Naturalibus vim atque efficaciam Legis Civis impertiri*; ita iidem Legibus Divinis revelatis eandem Legum Civium

D 3

* 1. Tim. III, 3. *ἐπισημῶς.*

** De Officio Homini & Civis, Parte II. c. XII. §. 3 à qua sana doctrina toto cetero diversa est impia sententia *Hobbesii* Clem. de Civ. c. XIV, n. 3.

viliū vim suo jure & Ordine tribuunt. Nam apud plurimos mortalium tanta deprehenditur malitia, ut metus divini Numinis ei reprimendæ non sufficiat.

§. L.
Sed licere mihi arbitror, ea, quæ laudatus PUFFENDORFFIVS de Lege Naturæ deinceps profert, ad Leges Creatoris nostri revelatas pari modo applicare, ut Ordinationibus Ecclesiasticis suū fulcrum, suū decus afferatur. Cum multa Lege Divina infinitè præcipiantur; inde Lex principis ejusmodi actionibus tempus, modum, locum & personas assignare solet. Si quid etiam in Lege Divina obscuri sit, Civilis (vel, ut hoc loco ex Objecti ratione vocatur, Ecclesiasticæ) est, explicare. Quam explicationem in agendo sequi cives tenentur, utut fortasse privata ipsorum opinio in diversum abeat.*

§. LI.

Quomodo vero Interpretatio Legis extendi possit, idem tradit felicissimus post *Hugonem GROTIUM* Juris Naturæ Doctor, dum ait; Potest igitur lex ad Casum, qui in Lege non exprimitur, extendi, si constet, rationem, quæ in illum Casum quadrat, unicam fuisse, quæ Legislatorem moverit, eamque ab ipso consideratam fuisse in sua generalitate & ut æquipollentes quoque casus complecteretur. Sed & extendi Lex debet ad illos Casus, qui in fraudem Legis ab hominibus pravè solertibus inveniuntur.**

§. LII.

Ad hanc igitur Legis Divinæ Interpretationem atque Extensionem spectat piorum Principum Cura, qua multa, quæ per Literam Legis licita sunt, ob viciniam illiciti, inter prohibita esse voluerunt. Sic enim subditos suos

** §. 7.

* l. c. part. I. c. XVII.

suos arcuerunt, ne sacra divini Numinis monita temere læderent. Cujus curæ imaginem quandam in legislationis Sinaiticæ Historia habemus, ubi Moses jubetur terminum circumquaque ponere, ne populus in sacrum montem irruere posset. * Tales termini, tales Cancelli sunt sapientia Christianorum Principum placita & edicta, quæ peccandi pruritus impediunt, malitiæ iter claudunt & legum Cœlestium sacra custodiunt. Illa fuit mens magni Israëlitarum regis, cum diceret: *Qui dissipat sepem, mordetur à serpente.* ** Quod apophthegma nil aliud innuit, nisi quod illi, qui veteres Constitutiones Legum aut Politiarum evertere conantur, in tristem aliquam calamitatem incidere soleant.

§. LIII.

Huc digitum intenderunt Judaici Legum Divinarum interpretes, qui non solum Masoram *Sepem Legis* appellarunt, *** sed & hoc nixi fundamento antiquissimum Doctorum suorum Leges & Instituta partim commendarunt, partim à variis Objectionibus vindicarunt. Sic verbi gratia nonnulli interpretes ex hoc principio illustrare solent locum illum illi posteriori ad Corinthios Epistola occurrentem, ubi Paulus ait, se à Judæis *quinquies accepisse quadragenas plagas, minus unâ.* **** Cum tamen lex deuteronomii vigesimo quinto posita quadraginta verbera infligi voluerit. Post Lyranum enim, Autorem glossæ ordinariæ & Erasmus Roterodamensem in Annotationibus, Hugo GROTIUS existimat, sapientes Judæos sic quoddam fecisse legis sepimentum, ne scilicet hac ratione meta legis transiliri posset. Verum alii, ut

Wil-

* Exod. XIX, 12.

** Eccles. X, 8.

*** מסורת סייג לתורה De Variis hujus vocis usibus & applicationibus videatur B. FRITSCHMUTHII Disputatio de Sepimento Legis.

**** I. Cor. XI, 24.

Wilhelmus SCHICKARDVS, Joh. BVXTORFFIVS, Abr. CALOVIVS & Augustus PFEIFFERVS ex triplici loro numerum istorum verberum ortum esse censent. Plura possem afferre exempla, v. g. de hora ante & post Sabbatum addita, si ipse legum, quas mihi proposui cancellos transgredi vellem.

§. LIV.

Illud pii Magistratus officium cum multi alii Principes puriorem Doctrinam amplexantur, tum præcipuè Serenissimi Duces Brunsvicensès ac Luneburgenses inde à faustissimo Reformationis tempore sibi habuerunt commendatissimum. Hinc non solum tot Ordinationes Ecclesiasticæ * integræ, sed & copiosissimæ Constitutiones peculiare promanarunt, ** quas ob selectum rerum fa-

* Quod Ordinationes Ecclesiasticas attinet, illas, quæ Ducatum Brunsvico-Wolfenbyttelanum concernunt, recensuit summè venerabilis Abbas. Dominus *J. A. SCHMIDIVS* Præceptor meus colendissimus in Programmate Disputationibus contra Socinianos instituendis præmissis Helmstadii 1716. In Ducatu Calemburgico-Göttingensi serenissima Princeps Elisabetha, nata Marchionissa Brandenburgica, & serenissimi Ducis Erici Junioris mater, cum tutorio nomine ad clavum regiminis federet, An. 1542. Ordinationem Ecclesiasticam publicavit. Ducatui Crubenhagico serenissimus Dux Wolfgangus Ao. 1579. Ordinatione Ecclesiastica prospexit. In Ducatu Luneburgico-Cellensi Serenissimus Dux Wilhelmus, Gloriosissimi nostri Regis & Electoris Abavus una cum serenissimo suo Fratre, Duce HENRICO Ordinationem Ecclesiasticam An. 1564. promulgavit, quam Filius ejus primogenitus. Serenissimus Dux ERNESTVS An. 1598. renovavit, secundogenitus vero, serenissimus Dux Christianus, qui simul Episcopatu Mindensi præfuit, à *Johanne ARNDTIO* pie memorie Præsule austri An. 1619. subditis suis præscripsit. Docet vero præfatio ultimo laudatæ Ordinationi præfixa, quod eum in finem sit instituta, ut furis infernalibus eò melius obviam iretur, ac subditi in obsequio divinis mandatis præstanto continerentur. Eadem hæc Ordinatio jussu serenissimi Ducis FRIDERICI, qui Serenissimi Ducis CHRISTIANI frater fuit, re visa, reperta an denuo edita est An. 1643. Et hæc illa est, qua Ecclesiæ Ducatus Luneburgici atque Comitatus Hoyensis salubriter utuntur.

** Constitutionum peculiarium res Ecclesiæ concernentium ingens numerus profuxit, a potentissimi nostri Regis Serenissimis PATRIVIS, Serenissimo PATRE, qui primus splendidissimum Electoris axioma in familiam suam intulit, ab ipso AVGVSTISSIMO nostro Rege & Electore, quem *Deus servet!*

pietiam in cauffis investigandis, pondera verborum & piam divini Numinis honorem promovendi intentionem non fatis mirari possumus.

§. L V.

Varia jam capita, quibus bonus in Ecclesia ordo aut piæ Vitæ integritas intenditur, ex laudatis Ordinationibus & Constitutionibus illustrare, atque sic prolixius indicare possem, quantam curam magni adhibuerint Principes, ut licita quædam prohibendo, animos subditorum ab illicitis eò commodius abstraherent. Verum exempli causa duo saltem momenta, quorum alterum sanctificationem Sabbathi, alterum res matrimoniales concernit, attingam, è quibus de reliquarum Legum Ecclesiasticarum in Provinciis nostris latarum pia indole judicari potest.

§. L VI.

De Ordinatione igitur Sabbathica jam locus est dis- Caput II.
ferendi. Est constat quidem ex Naturæ & Scripturæ libro, summo Magistratui, si felices rerum successus sperare, si subditis suis benè consulere velit, Cultum divinum, à quo omnis benedictio & salus Reipublicæ promanat, sollicite esse promovendum. Sit enim custodit *verba & ceremonias* quæ in Lege præcepta sunt, * sic *osculatur*, idest digno honore prosequitur *filium dei*; ** sic *elevat portas terræ, ut intret Rex Glorie*, *** sic piorum Regum atque Principum laudabilia sequitur exempla, quorum insignem numerum ex omnis ævi historia proferre possem, si circumscripti Dissertationis Academicæ limites illud permitterent.

E

§. LVII.

* Deuteron. XVII, 19.

** Psalmo II, 10.

*** Psalmo XXIV, 7.

§. LVII.

Cum vero Deus ipse rationem aliquam cultus externi præscripserit, atque ut dies unus in periodo hebdomali sibi consecraretur, tertio decalogi præcepto iusserit; in quem finem Ecclesia Apostolica primum hebdomadis diem sapienter elegit, ut scilicet esset perpetuum memoriale resurrectionis Dominicæ; voluntati isti divinæ, ut quam commodissimè & exactissimè satisfaciat, probus curat Magistratus. Huic scopo obtinendo ab Optimis nostris principibus Leges sæpius latæ sunt, quibus divinum Præceptum de Sanctificando Sabbatho repetitum, explicitum & cancellis quibusdam præfractorum prævaricatorum causa munitum & sepitum est.

§. LIX.

Quæ olim hac de re mandata Serenissimorum Principum Brunsvicensium & Luneburgensium publici juris facta sunt, eorum nucleus habetur in Constitutione Potentissimi nostri Regis atque Electoris, quæ Anno 1710. die 19. Martii emanavit. Initio ponitur causa hujus mandati, nempe frequens Sabbathi profanatio, qua piæ mentes offendantur, *infirmis* scandalum præbeatur, infideles in errore suo confirmantur, ac Deus ipse ad iram & pœnam commoveatur; dein omnia negotia civilia (exceptis operibus Necessitatis & caritatis) prohibentur, Cauponis, mercatoribus & negotiatoribus ante finita sacra publica vinum aut cerevisiam, aut alias merces vel vendere vel venum exponere interdicitur, labores agriculturam & inspecie messem concernentes per totum diem prohibentur, ubi tamen in summa tempestatis injuria, urgenteque adeo necessitate ejusmodi labores post sacrorum publicorum finem permittuntur. Et his omnibus sanctio quædam pœnalis adjungitur.

§. LIX.

§. LIX.

Quod sapientissimum mandatum si rite ponderetur, elucet inde, quod primarius ejus scopus sit, ut occasio profanationis Diei Dominicæ præcidatur. Etiam si enim Christiani pro Novi Fœderis indole à rigore Veteris Testamenti liberati sint, atque atque adeo illud, quod in tertio Decalogi præcepto Ceremoniale est, quo plenaria illa à quibusvis operibus abstinencia quoque spectat, ab ipsa hujus Legis Moralitate omnes omnino homines obligante, separandum sit; Etiam si porro veri Christiani bene norint, Præceptum de sanctificando Sabbatho favorem Dei potius esse quam rigorem, cum benignissimus Creator per verbum in eorum mentibus operetur, & anima illorum ad *spiritualem tranquillitatem** quæ votorum omnium summa est, ac cœlestis quietis typus, perducatur; facit tamen multorum socordia & indocilitas, ut plura in se licita ob viciniam illiciti in laudata Constitutione summo jure prohibeantur. Plerique enim mortalium eo sunt animo, ut nisi quam longissime à malo retrahantur, facillime in illud incidant. Cum igitur cura hæc verè paterna imbecillium mentibus consulendi, ad supremi Magistratus officium pertineat, quis quæso illos non laudaverit Principes, in quorum consiliis atque institutis sollicitudinem istam fulgere cernimus?

§. LX.

Observata itaque est in isto Mandato Regula Theologorum explicando tertio Præcepto inserviens. Quæcunque cultum Dei & internam animæ quietem impedire possunt, ea sunt Die Dominica intermittenda. Atqui
E 2
illa

* Quam Paulus tantopere quærendam docet Ebr. IV. 1. & II. hac de re pluribus que aliis ad Sanctificationem Sabbathi pertinentibus fuse & docte egit *Jean la Placette Dissertations sur divers. sujets de Morale & de Theologie. III. pag. 305. seqq.*

illa omnia, quæ in allegato Ediçto prohibita sunt cultum Divini Numinis, internamque mentis tranquillitatem impedire queunt. Vnde fluit, ut non sine gravi caussa ab iis abſtineatur. Ad omnes paragraphos ſingulasque actiones in eis prohibitas hæc jam facili negotio poſſunt applicari.

§. LXI.

Meditationes Theologicas plures brevitatis amans prætereo, & occaſione paragraphi noni unicum ſaltem obſervo. Dum ibi Celebratio Nuptiarum aliæque ſolennes epulæ diebus Dominicis rectè prohibentur, genium Chriſtianismi ab indole Judaismi diſcernere poſſimus. Judæi externa ſectantes Sabbathum ſuum rectè ſe exigere arbitrantur, ſi preces recitent, Synagogas frequentent & poſtea genio ſua quam maxime indulgeant. Hinc variæ eorum computationes & commeaſiones etiam nuptiales. Quod ita agant quotidiana docet experientia. Quod vero ita agere teneantur, Tractatus Talmudicus de Sabbatho tradit, * ubi inter alia dicitur: ſi quis Sabbatho animum relaxet, & ſe jucunditati det, Sabbathumque cum lætitia & voluptate tranſigat, à Deo illi hæreditas ſine termino datur. Chriſtiani contra interni hominis ædificationem, præguſtumque cœleſtis Sabbathi diebus cultui divino ſacratis, quærunt, ut ſibi non fiant dies exitii, ** ſed dies deſæcati gaudii. Licet igitur Nuptialia aliaque convivia infelicitate atque honeſta ſint, & ab iis qui fatiſ firmi ſunt, ſanctiſſimis etiam diebus celebrari queant; cum tamen ejus naturæ eſſe videantur, ut in plurimis hominibus internam quietem turbare facile poſſint, die Domi-
nica

* Addatur *Job. B. V. X. T. O. R. F. F. I. I.* Synagogi Judaica. c. XV. p. m. 321.

** Judæi vocant diem dominicum Chriſtianorum *יְמֵי דְנִי* diem Exitii. Ex Talmude hoc pluribus offendit *GEORGIVS Elieſer EZARDVS Annal. ad Tract. Talm. Avodaſara p. 113. ſeqq.*

nica ab iis securius abstinetur. Vnde patet in laudato Mandato non sine Zelo & pietate talia esse prohibita. Quam ob causam beatus Lutherus quoque nuptias die dominica alias celebrari solitas Wittebergæ abrogavit, teste *Friderico BALDVINO* * qui & ipse hujus abrogationis causas affert, ut scilicet ab omni specie mali & ab omni occasione peccandi abstinenceamus, nec aliis offendiculum ponamus. Priusquam progrediar, non possum non de Prægestu cœlestis Sabbathi, quem paullo ante attigi, elegantia quædam verba allegare, quibus *AVGVSTINVS* celebris Hipponensium Præful immortale suum de Civitate Dei opus claudit: *Erit ibi, inquit, vere maximum Sabbathum nan habens vesperam. Quod commendavit Dominus in primis operibus mundi, ubi legitur: Et requievit Deus septimo die ab omnibus operibus suis, quæ fecit, & benedixit Deus septimum diem & sanctificavit eum, quia inchoavit Deus facere. Dies enim septimus etiam nos ipsi erimus, quando ejus fuerimus benedictione & sanctificatione pleni atque refecti.* Et post multa egregia, quæ huc etiam spectant: *Tibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus. Ecce proderit in fine, sed sine fine.***

§. LXII.

Vt autem Legis observatio eò melius promoveretur, sanctio Pœnalis ubique addita, dum violatoribus aut carceris pœna aut certæ pecuniæ solutio dictata est. Quamvis enim pœna Capitalis in veteri Testamento transgressoribus tertii Præcepti decreta *** tam ad Legis Mosaicæ oeconomiam, quam ad Populi Judaici genium propriè pertineat; docet tamen illius ordinatio atque executio ipsos

* Cas. Conc. Lib. II. cap. 13. Cas. 8 P. 363.

** De C. D. Lib. XXII. cap. 30.

*** Exod. XXXI. Num. XV.

ipfos etiam Christianos, quod gravispœna à violatoribus Cultus divini sumta non fit contra Jus naturæ, sed Deo optimo maximo etiam benè placeat. Imo nisi metus hujus pœnæ obstet, Lex salva esse non posset, hominesque immorigeri magis magisque indies à præceptis creatoris declinent. Quodenim pars Legis præceptiva, sine altera parte, quam coactivam dicunt sine fructu fit, quotidiana docemur experientia. Et si quis dicat, hoc in casu finem pœnarum Civilium non habere locum, qui sit securitas publica, quam violatio Sabbathi non lædat; huic responderi posse arbitror, plures dari pœnarum fines, qui heic loci non solum intenduntur, verum etiam obtinentur; nimirum aliorum cautionem, justitiæ vindicativæ exercitium & ipsorum delinquentium emendationem.

§. LXIII.

Hæc contra multos & in specie contra G. G. TITIVM Jure Consultum nuper in Academia Lipsiensi celeberrimum observanda duxi. Hic enim non tantum testè modo incidere voluit nervos sanioris doctrinæ de Origine & Jure Sabbathi, quæ in Cœtu Reformatorum sub initium seculi decimi septimi Occasione scripti cujusdam Franc. GOMARI, * in nostra vero Ecclesia sub præsentis ævi auspiciis occasione Disputationis cujusdam Halensis ** à Jure consultis pariter ac Theologis expolita ac corroborata est; sed & minus consultum esse existimat, negotia, Nuptias aliasque actiones die Dominica

* *Franciscus GOMARVS*, Theol. Lugdunenſis in Batavis doctiſſimus edidit *Investigationem ſententiæ & Originis Sabbathi*, quæ habetur Tomo operum ejus ſecundo. Contra quem ſanioris ſententiæ vindicias dederunt *Walæus*, *Rivetus* & multi alii.

** *Diſſertationem* intelligo *de Jure Sabbathi*, An. 1703. ſub Præſidio beati Domini J. S. STRYKII Halis publicatam & habitam, cui quæ oppoſita ſunt complurium Juris-Consultorum & Theologorum ſcripta, plerisque non ſtratum conſtat.

nica sub gravi pœna interdicere. Quin hæc omnia unuscu jusque conscientia relinquenda esse autumat. Quoniam mediante punitione nil aliud nisi intermissio externi operis, non autem vera pietas obtineatur, unde tandem merum Sabbathum Iudaicum oriatur. * Hisce vero ratiocinationibus, iis, quæ non modo antecedente paragrapho dicta sunt, sed & quæ per totam hanc dissertationem in medium produxi, occurrere possumus.

§. LXIV.

Cum ordo jam postulet, ut de Constitutionibus Matrimonialibus agam, in tantum saltem de illis disseram, quatenus gradus prohibitos concernunt, & à præsentis mei scopi haud sunt alienæ. Pertinent vero huc ista fundamenta, quæ paragrapho 47. & sequentibus jeci, eo majori jure, quo propius Quæstiones Matrimoniales non solum Ecclesiam, sed et Rempublicam tangunt.

Caput III.

§. LXV.

Vt hac in parte provinciarum nostrarum incolæ ad divinorum mandatorum observationem manu quasi ducerentur & ab eorum violatione eò longius retraherentur, gloriosissimi Brunsvicensium ac Luneburgensium Duces magnam impenderunt operam. Præ reliquis huc spectat caput trigessimum Ordinationis Politicæ serenissimi Ducis CHRISTIANI. ** Caput decimum quartum Ordinationis Ecclesiasticæ serenissimi Ducis FRIDERICI. *** Constitutio serenissimi Ducis JOHANNIS FRIDERICI, **** & complures acliæ.

§. LXVI.

Hic primò scopus horum Mandatorum ex ipsis illorum

* Probe des Teutschen Geistlichen Rechts. Lib. III, c. 1, §. 14, p. 413,

** De An. 1618. p. 132.

*** De An. 1641. p. 137. seqq.

**** De An. 1675. septimo Octobris die.

rum visceribus eruendus. Promulgata nimirum sunt, ut id, quod illicitum & sanctitati divinæ contrarium est, eò majori cura caveretur. Hinc in laudata Ordinatione Ecclesiastica sub initium Capitis de Matrimonio, dicitur, quod Deus omnipotens sit sanctus & castus Deus, cui omnis impudicitia & turpis commixtio adverteretur. Ut igitur certi maneamus, nos ejus pœnam non esse incurfuros, paragrapho 17. traditur, quod Matrimonium vitandum sit, non solum cum illis personis, quæ Levitici decimo octavo & vigesimo capite expresse nominantur, sed & cum eis, quæ pari distant gradu, imò quæ uno gradu longius remotæ sunt, ubi ratio additur, scilicet propter majorem reverentiam sanguinis; qua hoc modo omnis via ad incestuosas nuptias præscinditur. Eadem allegatur causa in commemorata Constitutione serenissimi Ducis JOHANNIS FRIDERICI, quæ Conjugia iuter personas, quæ in secundo gradu Lineæ inæqualis afinitate connectuntur, prohibita pronunciantur. Ibi enim dicitur, hoc fieri ad conservationem majoris pudoris atque honestatis.

§. LXVII.

Hujus vero non est loci, dubia, quæ contra Universalitatem Legum Matrimonialium citatis Levitici Locis occurrentium à multis nectuntur, dissolvere. Unversales nuncupo leges istas; nam juris naturæ eas esse, ut cum *Johanne MVSÆO* viro summo * aliisque statuum, persuaderi nequeo. Interim cum non pauci eò procedant, ut prohibitionum istarum plerasque omnino particulares esse pronuncient, Argumentum illud Theologorum a Cananæis, propterea quod has Leges etiam ante Constitutionum Mosaicarum publicationem transgressi sunt, tam seve-

* Theſibus Theol. de Conjugio §. 92. seqq.

severe punitis desumptum piis mentibus satisfacere arbitror. Inde enim de Vniversalitate istarum Legum convincuntur. Accedit, quod Deus sapientissimus ideam ac sanctissimus horum Conjugiorum prohibitione impudicitiae occurrere voluisse videatur. Quodsi enim iis, qui tam propinqua cognatione connectuntur, licitum foret matrimonia inter se contrahere, pudor certe talium personarum in magno esset periculo, & res familiares ac domesticae, quarum promovendarum causa fratres & sorores aliosque propinquos necessario una habitare oportet, mirum in modum turbarentur. Illud vero argumentum, quod Augustino & post eum compluribus arrisit, mihi imbecillum esse videtur, dum ex ea causa propinquorum conjugia prohibita esse aiunt, quod necessitudines latius essent dispergendae. * Ecclesia vero Christiana prioribus duobus argumentis magni roboris nixa in hac sententia, quam de Legum harum Vniversalitate proposui, sancte semper acquievit. Quo spectant illa AUGUSTINI verba: ** *In Levitico capite 18. talia prohibita sunt, quae etiam tempore Novi Testamenti, remota umbrarum Veterum Observatione sine dubio custodienda.* Ad praecipuam illam objectionem, à multorum Patriarcharum Veteris Testamenti & Israelitarum Conjugio hisce regulis adverso, responderi potest, partim quod regulis, non exemplis vivendum sit, partim vero, quod Deus ipse dispensaverit, quo verbi gratia Lex Leviratus spectat, *** quae tamen dispensatio praecipuum universale non tollit, sed ad Ebraeorum politiam adstricta, alias gentes neutiquam concernit.

F

§.LXVIII.

* August. de C. D. L. XV, 16. p. m. 206. quod integrum caput cum annotationibus Lnd. Viyis & Leonhardi Coquei ad praesentem materiam spectat.

** Questionibus super Levit. Quaest. 64.

*** Deut. XXV, 5.

§. XXVIII.

Optime autem in sæpius laudata Ordinatione Ecclesiastica dictum est, quod in Norma illa Matrimoniali Levitici XVIII. & XX. non solum personas, uti Judæi consueverunt, sed & gradus observare oporteat. Cujus rei gravissimæ existunt causæ, è quibus præcipuas saltem allegaturus sum. Primò enim versu sexto Capitis decimi octavi fundamentum omnium prohibitionum ponitur. *Nemo ad reliquias carnis*, vel ut Tremellius, ad *illum propinquum carnis*, vel ut alii hebraicam vocem exponunt, ad *Carnem Carnis sue* accedat. * Idest, non eundem mihi est ad propinquam, quæ vel ex mea carne propagata est, vel ex cujus carne ego propagatus sum, vel quæ mecum ex eadem carne propagata est. Ut ergo omnes personæ, quæ carnem meam proximè accedunt, sive in numero quindecim illarum, quarum expressè mentio fit, & quas sequente inciso recensero, extent, sive minus, intelligendæ veniant. Porro sequens etiam argumentatio mihi videtur cum natura plane esse conveniens? Qui gradus, vel quæ persona in Affinitate prohibetur, idem gradus multò fortius in Consanguinitate prohibitus intelligitur. Exempli gratia: Quia Patruï uxor prohibetur fratris filio, ergo multò fortius Patruï fratris filia prohibetur. Ratio est manifesta, quia Patruï Vxor propter Patruum, cum qua est una caro, prohibita est; ergo multo magis Patruus ipse. Huc enim pertinet Metaphysicorum Canon vulgo notus: ro-
pter

* אִישׁ אִישׁ אֶל-כָּל-שָׂאֵר בְּשָׂרוֹ לֹא תִקְרָב לְגִלּוֹת עֵרְוָה אִבִּי וְהוֹחַ

Beatus Martinus LUTHERVS ita transtulit: Niemand soll sich zusei-
ner Nächsten Bluts-Freundinn thuen - Denn ich bin der Herr.

pter quod unum quodque tale est, illud magis est tale. *
 Quodli vero quis argumentis hisce non potest moveri,
 ut illicitum pronunciet, cum personis istis, quæ in Levi-
 tico non nominatæ; gradu tamen ibi allegatis pares sunt,
 matrimonio jungi; illi considerandum propono, an non
 hæc talia, quæ licita est existimat, ob nimiam & palpabi-
 lem illiciti viciniam vitare deceat?

§. L XIX.

Vt jam, ipsorum prohibitorum graduum seriem &
 diversas classes paucis verbis indicem, præ reliquis, uti
 par erat, in Ordinationibus & Constitutionibus nostris
 Matrimonialibus prohibita sunt Connubia cum personis
 in Levitico expressa Littera nominatis. Nominantur au-
 tem in libro divino quindecim. 1. Mater. 2. Noverca. 3. So-
 rer ex utroque Parente. 4. Soror ex altero Parente. 5. Ne-
 ptis è filio. 6. Neptis è filia. 7. Soror Patris. 8. Soror Ma-
 tris. 9. Vxor Patru. 10. Nurus. 11. Vxor Fratris. 12. Vxo-
 ris Mater. 13. Privilegia. 14. Filia Privigni. 15. Filia Pri-
 vignæ. Magnus CHEMNITIVS quidem sedecim enume-
 rat personas, dum ex versu decimo octavo Vxoris soro-
 rem adjungit. Sed quod hæc sententia non possit admit-
 ti, hætenus à viris doctis, licet in diversa inter se abeun-
 tibus, toties est demonstratum.

§. L XX

Hinc porro interdicuntur Matrimonia cum Perso-
 nis istis, quæ gradu cum nominatis parallelo distant. Et
 huc in specie singularis illa Constitutio serenissimi Ducis
 JOHANNIS FRIDERICI Patru potentissimi no-
 stri

* Conf. B. M. CHEMNITII L. L. T. T. de Conjugio p. m. 208.

fratri Regis spectat, cujus supra jam debitam feci mentionem. Prohibentur in illa Conjugia cum iis personis, quæ sequenti ratione enarrantur: Patruï Vxor. Avunculi Vxor. Soceri Soror. Socrus Soror. Demortuæ uxoris fratris filia. Demortuæ Vxoris sororis filia. Amittæ Maritus. Materteræ Maritus. Soceri frater. Socrus frater. Demortui Mariti Fratris filius. Ratio hujus interdicti §. 68. redditur.

§. LXXI.

Verum ulterius & istis Matrimonii obex ponitur, quæ divina lege, sive expresse secundum §. 69. sive per pronam Consequentiam juxta §. 70. non sunt illicita. Nimirum fratrum & Sororum liberis interdicitur matrimonio sese jungere, nec non prohibetur Conjugium cum Vidua filii Patruï magni & sic porr. Quod Consilium *Philippus MELANCHTHON* olim honestum & probandum vocavit. Quem admodum enim Medici cum cura sæpe prohibent, cibos per se non noxios ob ægroti infirmitatem; ita gradus quidam per se non illiciti a sapientibus Principibus ob hominum imbecillitatem prohibentur, quoniam sine hoc si essent sepimento, nullam ipsius divinæ legis haberent rationem. Applicare huc possumus egregia illa *M. T. CICERONIS* verba, quæ tamen in alia plane causa prolata sunt. * *Hic jam judices, vestri consilii est, vestre Sapientiæ, quid deceat vos. Non quantum liceat vobis, spectare debetis.* Subditorum vero est, ut hujus modi Ordinationibus non tantum propter pœnam vitandam, sed & propter Conscientiam pareant, cum pius Magistratus talibus mandatis nil nisi honestum & sanctum præ oculis habuerit.

§. LXXII.

Enim vero, cum non raro gravissimæ existant causæ, ut tales personæ, quibus summorum Principum lege veti-

vetitum, sacrum inire Conjugium, magno suo suorum-
que emolumento jungantur; Dispensatione illud remo-
veri impedimentum inter omnes constat. Sic illud, quod
per humanas leges sapienter factum erat illicitum, per eas-
dem, circumstantiis id requirentibus, sapienter redditur
licitum. Qui enim legem potest ferre, ille eam quoque
potest relaxare, sive obligationem ejus in aliquo casu,
quo aliàs obligatura esset, remove. Possunt autem
Principes non solum in legibus, quas ipsi condiderunt,
sed & quæ à celsissimis eorum Antecessoribus profectæ
sunt, dispensare. Cum igitur per Dispensationem ali-
quis eximatur ab obligatione, quæ cæteris omnibus e-
jusdem reipublicæ civibus incumbit, per se patet, bonam
& urgentem requiri causam. Malè itaque & inconside-
rate, imo non sine factu quodam ac præsumptione subditi
illi res suas instituant, qui nisi evidentibus & salutem su-
am concernentibus rationibus obstringantur, a Prin-
cipibus aut iis, quibus rerum sacrarum cura commissa
est, Dispensationem sibi expetunt. Iniquum enim est,
à privato quodam desiderari sine legitima causâ, ut sua
melior fiat conditio quam reliquorum omnium. Hoc
modo rationes subducit Vir incomparabilis judicii B.
Georgius CALIXTUS, * Qui BERNHARDI venerabilis
Abbatis verba adjecit: *Vbi necessitas urget, excusabilis
dispensatio est. Vbi utilitas provocat, dispensatio lauda-
bilis est.*

§. LXXIII.

Sed ea, qua decet animi summissione, laudanda mi-
hi est serenissimorum Principum nostrorum prudentia,
F 3 qua

* Oratione pro C. RABIRIO Posthume in Confirmatione. Vol. III. Edit. Francf.
de an. 1653. p. 343.

qua Cancellos legum divinarum non nimis late extenderunt, neque ea illicita pronunciaverunt, quæ ab illicito procul satis absunt. Sic enim partim scupulositati, partim Spiritui Papistico obviam iverunt.

§. LXXIV.

Quod prius attinet, unicum saltem citare casum liceat: Nimirum Conjugium cum defunctæ Vxoris fratris vidua Ordinatione Ecclesiastica sæpius laudata permittitur.* Idque rectè & ordine, propter rationem secundi generis Affinitatis. Hæc vero observare supervacaneum esset, nisi Theologi aliqui atque Jure Confulti casum istum inter prohibendos retulissent. Ex Theologis GERHARDVS & CALOVIVS, ex Jure Confultis ALBERICVS Gentilis veniunt allegandi. Sed & hi diversis nituntur caussis. Quas si ponderamus, meritissimos illos viros suæ non valde fidos esse sententiæ patet. Jam enim cum formidine oppositi loquuntur, jam in eo casu respiciendum esse docent non solum quod liceat, sed etiam quod deceat. Verum, quod non sine reverentia tantis Viris debita scribo, nullus hic adest metus transgressionis ullius legis, quoniam nec divinum nec humanum jus prohibitiones ad secundum genus Affinitatis extendit. Atque in præsentî casu nulla proprie dicta est affinitas. Vxorî enim defunctæ frater factus est cum Vxore sua una caro, ergo uxor defuncta affinis facta est illius Vxorî. Maritus vero ex plane alio sanguine oriundus cum Vxorî suæ fratre quidem Affinitate jungitur, non vero cum hujus uxore. Quod enim tales personæ affines vulgo nominantur, hoc tantum fit abusi-

* Epitome Theol. Moral. pag. 80.

abusivè. Quod vero doctissimus CALOVIVS ait, non solum id respiciendum esse, quod liceat, sed etiam quod deceat; hanc regulam quidem auream esse & magni à me fieri singulis his paginis ostendi; verum sic saltem sequenda esse mihi videtur, si ex rei, vel personæ, vel objecti, vel legis natura firmiter est demonstratum, hoc vel illud decere. Quod tamen circa hanc quæstionem fieri nequit. Ne igitur inutiles animis injicerent scrupulos serenissimi Principes, justos suis prohibitionibus posuerunt limites.

§. LXXV.

Sed & à Pontificiorum consuetudine hoc modo laudabiliter abierunt. Quorum prohibitiones harumque relaxationes * si non solum laqueos conscientiæ, sed & acquirendi modus vocemus, non certè erraverimus. Sed hæc talia huc propriè non spectant.

§. LXXVI.

Ego potius Omnipotentem Cæli terræque Creatorem celebrandum mihi esse censeo, quod Provincias nostras tum piis tamque sapientibus huc usque beaverit Principibus. Quos inter tanquam fulgidissimum fidus eminent Augustissimus noster Rex & Elector, sub cujus auspiciis jura sunt tuta, leges florent, rebusque sacris deus suum conservatur.

§. LXXVII.

Idem vero clementissimum Numen ardentissimis rogandum est precibus, ut omnibus & singulis, qui Christiano condecorati sunt Nomine Spiritus sui gratia adesse,

* pag. 163. §. 57.

** Pontificii quid circa hanc rem doceant & publicè decreverint, & Concilii Tridentini, 24. constat.

se, illorum intellectum magis magisque indies illuminare, voluntatemque puriorem & ad virtutem magis pronam reddere velit. Quod si enim cœlesti impulsu flectuntur animi, suavi Servatoris jugo sese submittent, & has officii Christiani partes, quas paucis hisce paginis explicandas mihi sumsi, explere satagent.

Divinum inquam, requiritur lumen, divinum robur. *Quilibet enim purus in viis suis sibi videtur, sed Deus solus certam facit conscientiam.* * Hunc in finem pii Conscientiam suam cœlesti affulsi lumine quotidie examinant, & ne minimum quidem peccatum, nec ipsam mali speciem floccipendunt, metuentes ne Conscientiæ integritas & hinc fluens tranquillitas ac lætitia destruantur. Imò cum norint viam, quæ ad cœlestia ducit gaudia, non solum strictam, sed & variis periculis expositam esse, cautè semper incedunt, non solum bonam, sed optimam partem eligunt, eique contemptis mundi atque carnis illecebris constanter inhærent. Sic legunt vestigia Servatoris atque Apostolorum. Sic illos manet hæreditas, quæ nec corrumpi potest nec contaminari.

* Prov. XVI, 2.



94 A 7376

ULB Halle

3

003 263 55X





Reho

VO 77

Mi. 50.







9. 29.
27

DISSERTATIO INAUGURALIS
THEOLOGICO-PRACTICA
DE
VITANDIS
QVIBVSDAM LICITIS
OB VICINIAM
ILLICITI

QVAM
IN INCLYTA ACADEMIA IVLIA
PRAESIDE
DN. JONA CONR. SCHRAMMIO
S.S. THEOL. DOCTORE ATQVE PROFESSORE
ORDINARIO CELEBERRIMO ET HOC TEMPORE
FACVLTATIS SVAE DECANO
PRO PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS
OBTINENDIS

DIE IVNII MDCCXXVI.
EXAMINI PVBLICO EA QVA PAR EST
MODESTIA EXPONET
HENR. ERNESTVS OWENVS
ECCLSIARVM IN COMITATV SVPERIORI HOYENSI
SVPERINTENDENS ET PASTOR IN SVLINGEN.

HELMSTADII,
Typis PAVLI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.